217

impedimentum non modicum generaret. Quapropter monachi necessitate compulsi ea inde remoueri fecerunt. Nondum quod cum tria sint que a mundanis hominibus appetuntur scilicet diuicie delicie et honores. Iste vir sanctus tante perfeccionis extitit quod ipse diuicias contempsit. honores respuit. voluptates abhorruit. Quod diuicias contemneret: ipse testatur in libro soliloquiorum vbi racio interrogat eum dicens. Diuitias nullas cupis? Et respondit augustinus. Hec quidem nec nunc primum. Nam cum .30. annos agam .14. anni fere sunt ex quo ista cupere destiti. nec aliud in hiis preter necessitatem et victum cogitaui. Prorsus vnus ciceronis liber michi facile persuasit: nullo modo appetendas esse diuicias. Quod autem honores respueret in eodem libro testatur vbi ratio eum interrogat dicens. Quid honores? Et respondet Augustinus. Fateor eos modo ac pene hiis diebus cupere destiti. Voluptates quoque et delicias contempsit et quantum ad concubitum et quantum ad gustum. Quantum ad primum interrogat eum ratio in eodem libro dicens Quid de vxore? Nonne te delectat pulchra. pudica. morigerata. diues. presertim si certus michil ex ea te moleste passurum? Et respondit Augustinus. Quantum libet velis eam depingere atque cumulare bonis omnibus michil michi tam fugiendum quam concubitum esse decreui. Cui ratio Non ego quero quid decreueris: sed vtrum adhuc alliceris. Et respondet augustinus. Prorsus michil huiusmodi quero. michil desidero etiam cum horrore atque aspernacione talia recordor. Quantum ad secundum interrogat eum ratio dicens. Quid de cibis? Et respondet augustinus. Siue de cibo et potu: siue de balneis ceteraque corporis voluptate michil me roges. Tantum ab ea peto quantum in valitudinis opem conferre potest.

## In decollatione sancti Johannis.

Decollatio sancti Johannis baptiste quatuor de causis instituta fuisse videtur: sicut in libro mitrali de officio inuenitur. Primo propter eius decollacionem. Secundo propter ossium ipsius concremacionem et collectionem Tercio propter capitis ipsius inuentionem. Quarto propter digiti ipsius translacionem et ecclesie dedicacionem. Et secundum hoc festum istud a quibusdam diuersimode nominatur. scilicet. Decollatio. collectio. inuentio et dedicatio. Primo ergo celebratur hoc festum propter ipsius decollacionem que quidem hoc modo facta est. Nam vt habetur in hystoria scolastica Herodes antipas filius magni Herodis romam proficiscens et per fratrem suum transitum faciens cum Herodyade vxore Philippi et secundum Josephum sorore Herodis Agrippe secreto pepigit quod in reditu suo vxorem repudiaret et ipsam in coniugium duceret. Quod vxorem suam scilicet filiam Arethe regis damascenorum minime latuit et ideo non expectato viri reditu ad patrem quantocitius festinauit. Rediens autem Herodes Herodyadem Philippo abstulit et Arethem regem et Herodem agrippam et Philippum in sui inimiciciam concitauit. Johannes autem eum de hoc arguebat quoniam secundum legem quam receperat. fratri suo vxorem: ipso viuente sibi

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iv-147/0445
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG